Piotrkowczyk.

Petricovii Andreae: Quaestio de privilegiis et earum: privilegiatorum.

# QVÆSTIO
ex cap. cùm olim. il 2.
ext.
DE PRIVILEGIIS & EXCESS:
PRIVILEGIATORVM.

Quæ



*Præsidente Admodum Reuerendo & Clarißimo Domino,*

*D. JACOBO IANIDLOVIO I. V. Doctore & Professore Ordinario, Proton. Apost. & Vniuersitatis Crac: Procancellario,*

publicè ad disputandum in Alma Academia Cracouiensi proponetur;

Ab Andrea Petricovio Prof; Zamosc.

III. Nonas Sextil.

*ANNO M. DC. XV.*

In insignia Illustrissimi & Reuerend$^{mi}$ Dni,
D. IOANNIS ANDREÆ PROCHNICKI,
Archiepiscopi Leopolien. &c.





*Fausta trias fluuiûm, Elysij de fonte profecta:*
*Longè conspicuam confluit ante domum.*
*Flumina tanta, vehũt tibi conchas, Præsul, honorũ:*
*Teq́; rigant semper, Spe, Pietate, Fide.*

M. IOAN: LOZA.

# Illustrissimo ac Reuerendissimo Dño,

# D. IOANNI ANDREÆ PROCHNICKI,

## DE PROCHNIK:

### Dei gratia ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI, Abbati Sieciechouiensi, &c.

Domino & Patrono suo colendissimo.

*ANDREAS PETRICOVIVS S. & F.*



*Ondum resedit, conceptum in animis hominum, ex felicissima inauguratione tua, gaudium & lætitia. immò tanquã nunc primù in Academicos nostros peruasisset penates, eam in nobis excitat studiorum contentionem atq; alacritatem, vt sub Tuo potissimùm auspicio prodeant in lucem, quæ nunquam latêre possunt, bonæ artes ac disciplinæ. Iniecerat illis, non ita pridem, multum pauoris ac trepidationis, Martia illa Erynnis, & furens in viscera sua Bellona; iamq; propemodum Iustitium Musis minabatur, cùm Tu laboranti Russiæ, nouus Archimysta feliciter affulsisti, omnemq; exorientis periculi formidinem, ipso tuo aduentu discussisti. Nimirum sic erat in fatis; quæ Te rebus summis natum ac bono prorsus omine destinatum, eò semper dirigunt, vbi nõ tantum pietatis, consilij, prudentiæ ac magnanimitatis Tuæ, sed etiam felicitatis perpetuæ, maxima extent monumenta. Tu verò quam & foris egregiè sustinuisti, Regis, Patriæ, nominisq; Poloni maiestatem; & domi quà consilio, quà meritis in Remp. tuis, auxisti*

*xisti splendorem ac incolumitatem: ita præclarè etiamnum foues ac sustines: vt reddita pax terris Rußiæ; Musæ ac bonæ artes suæ quieti ac tranquillitati restitutæ, per Te potissimum videantur. Quæ fuit ratio, cur ego sacris Philosophiæ in inclyto Hyppæo Zamosciano, ritè operans, de altiore illa vereq; sublimi Diua (Iurisprudentiam intelligo) cogitare cœperim, suisq; aris non profanus aliquando mysta accedere optauerim. Existimabã enim, neq; digniorem vllã esse scientiam, in cuius penetralibus elaborandũ mihi esset: neq; opportuno magis tempore vnquã id fieri posse, quàm quo secura quies & trãquillitas rebus sit atq; studiis. Itaq; cùm primùm per ferias istas Caniculares, à publico docendi munere respirare potui; Cracouiam excurrens, Amplissimæq; Iuris Facultati me sistens, pro more legibusq; Academiæ, publicæ disputationis certamen inire volui. Cuius te, Illme & Rme Antistes, Patronum mihi aduoco: certus, & si desideratißimæ præsentiæ tuæ copia desit; tamen vel sola nominis tui recordatione, permultum mihi, rebusq; meis accessurum. Qua in re non illud in excusationem mihi venit, quòd Te adeò tenui & perexiguo Xenio interpellem: quid enim magnitudini Tuæ non impar proficisci à me poßit? sed hoc vnicum ignosci mihi velim, quòd aliquantò seriùs summæ virtuti, honori, ac dignitati Tuæ litare videar. Debebatur quippe iam olim à me Tibi aliquid eiusmodi: & hanc mihi viam vel parens ipse nupero præiuit exemplo, postquam præcipuam laborum suorum partem nomini Tuo reuerenter dicauit ac consecrauit; vel alij complures sortis meæ homines, qui in laudes tuas gratulationesq; certatim effusi, iam volitant docta per ora virùm. Verùm & qui Solem recens ortum salutant; & qui summa cœli emensum adorant; & qui à meridie declinanti sacrificant; vnum eundemq; Phœbum colunt ac venerantur. Vale Illust: & Reue: Præsul.*

Datum Crac. Kal. Sextil. Anno M. DC. XV.

# QVÆSTIO
## ex cap: cùm olim. il 2.
## ext. DE PRIVILEGIIS.

V. Ecclesia vtens duobus vel pluribus Priuilegiis, si succumbat aut deficiat ex vno: possit nihilominus iuuari ex alio, etiam contra sententiam latam, necne?

## CONCLVSIO I.

Ecclesia Priuilegio vti potest in rem suam, tam ad agendum, quàm ad excipiendum.

## *COROLLARIA.*

1. *Ecclesia non præsumitur priuilegiata, nisi id probet: dum autem probat, priuilegij tenorem producere debet.*
2. *Quodsi interciderit instrumentum priuilegij; potest adhuc allegari: modò adsint te-*

 *stes,*

*stes, qui illud inspexerint, deq; tenore eius sub iuramento deponere sint parati.*

3. *Priuilegium cùm sit beneficium singulare, extendi ad alias Ecclesias, quàm quibus concessum est, non debet.*

4. *Valere incipit priuilegium ab eo tempore, quo peruenit ad notitiam eius cui conceditur; quamuis ab aliјs ignoretur.*

5. *Vim obtinet priuilegij possessio tanti temporis, cuius non est hominum memoria in contrarium.*

6. *Præscriptio locum habet in priuilegiis: nam 40. annorum spacio contra priuilegium Ecclesiæ præscribitur.*

## CONCLVSIO II.

Duo vel plura priuilegia, pro vna eademq; Ecclesia, allega i non inutiliter possunt.

### *COROLLARIA.*

1. *Ecclesia quæ expressè vel tacitè renunciauit priuilegio, aut iustâ de causâ illud amisit, amplius eo vti non potest.*

2. Pari

2. *Pari ratione si conditionem priuilegio comprehensam non impleuerit, frustra illud allegat.*
3. *Renuncians vni priuilegio, non censetur renunciare alteri, nisi illud quoq; exprimat.*
4. *Quando plura concurrunt priuilegia, estq; aliquod inter ea discrimen: illi standũ erit, quod magis accedit ad ius commune.*
5. *Inutile ac surreptitium censetur priuilegium, quo secunda obtinetur gratia, non expressâ priori.*
6. *Eiusdem est interpretari priuilegium, cuius & concedere.*

## CONCLVSIO III.

Ecclesia succumbens ex vno Priuilegio, potest iuuari nihilominus ex altero, contra sententiam latam.

## *COROLLARIA.*

1. *Non est recedendum à sententia Iudicis, si quæ rasuræ, lituræ, aut falsæ subscriptiones, priuilegium, quod de nouo allegatur, suspectum faciant.*

2. In

2. *In dubiis tamen ſic interpretandum eſt priuilegium, vt valere potius, quàm perire intelligatur.*

3. *Licet iura poſteriora derogent prioribus: priuilegia tamen, quæ prius conceſſa ſunt atque ſubſcripta, potiora habentur iis quæ ſubſequenter.*

4. *Vt priuilegium legi, ita lex poſterius lata derogat priuilegio, illudq́ꝫ reſcindit.*


5. *Eccleſia condemnata in expenſas, non tenetur ad eas, poſteaquam iuuatur ex alio priuilegio.*

6. *Iudex à cuius ſententia ex nouo receditur priuilegio: nulla ratione notatur.*



Sub felicibus auſpiciis Admodum Rndi P. ac Magnifici Domini, M. Sebaſtiani Krupij I.V.D. & Profeſſoris, Præpoſiti VVielicien. & Vniuerſitatis Crac. Generalis Rectoris.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typ.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0012966